

nocentium respondere nisi quod ipsa Apostolica Sedes antiquitus tenuit; quibus verbis significatur doctrinam Apostolicae Sedes esse normam veritatis.

Dices. Episcoporum magisterium unanime repraesentat traditionem; haec nequit esse falsa: ergo magisterium universitatis est per se infallibile.

Haec est difficultas cuius solutionem promisimus in Th. praeced. Respondeo. Antecedens simpliciter verum est si Episcopi omnes doceant simul cum Rom. Pontifice consentiente vel expresse vel tacite, sive doceant quod iam Romana Sedes probavit: qua in hypothesis conceditur simpliciter consequens. Si vero aliquid nondum definitum doceant citra consensum Romani Pontificis, distinguendum est. Quae distinctio ut intelligatur, advertendum est aliud esse quod in iis, quae explicite credenda proponuntur ab universo Episcopatu contineatur plus minus implicite ea quoque veritas revelata, de qua est quaestio, aliud quod actu veluti reflexo cognoscatur in illis haec veritas, et infallibiliter cognoscatur. Primo modo se habet traditio contenta magisterio Episcoporum ad eam veritatem de qua est quaestio, sicut se habet Scriptura ad plures veritates in ea certe contentas, de quibus tamen disputatum est et disputatur: continetur scilicet ibi veritas, sed nondum infallibiliter cognoscitur. Altero modo habetur cognitio certa et infallibilis huius veritatis. Hoc posito ita distinguimus: magisterium Episcoporum repraesentat traditionem quod eas veritates quas necessario credendas proponunt (Cf. th. praeced. p. 1.) *conc.* quoad alias veritates illis implicite contentas, *subd.* h. e. hae quoque veritates in iis quae docent continentur, *conc.* hoc ab iis certa investigatione eruuntur et proponuntur fidelibus citra magisterium Romani Pontificis, *subd.* iudicio reformabili, *conc.* irreformabili ideoque infallibili, *neg.* Et sane depositum quidem revelationis omnibus Episcopis commissum est custodiendum (1 Tim. VI. 20), sed praecipue Apostolicae Sedi, in qua semper ab omnibus servata est ea quae est ab Apostolis traditio (Irenaeus l. s. c.). Neque est supponendum quod notitia clara et distincta totius depositi sit penes quamlibet Sedem episcopalem, quod historice constat esse falsum.

(De Conciliis 1^a)

THESIS XXVIII.

Singuli Episcopi catholici, h. e. communionem fruentes Romanae Sedes, id habent proprium prae ceteris fidelibus, ut sint magistri authentici verique iudices etsi non supremi in causis fidei, et cum singuli in suis sedibus docent, praesumendum est iuridice doctrinam eorum esse catholicam, h. e. doctrinam cathedrae Petri. Eos vero in Synodum oecumenicam convocandi potestas coactiva est solum penes Rom. Pontificem, isque solus ius habet iisdem praesidendi auctoritate iurisdictionis. Coacti proinde in Synodum oecumenicam Episcopi obtinent a Romano Pontifice auctoritatem docendi cum ipso universam Ecclesiam ibique sunt ex sese veri iudices fidei, quorum tamen iudicialis auctoritas vim suam erga fideles exerit. Et cum definitio ex cathedra praevertit, habent ipsi convocati in Synodum ius et officium instituendi de ea examen non quidem dubitativum sed comprobativum. Comprobantes autem suo suffragio debito doctrinam a Pontifice propositam, eam sua quoque auctoritate iudicant, simulque cum ipso Rom. Pontifice definiunt et confirmant. Sententia tamen Episcoporum ideo peremptoria est et infallibilis quia Romanus Pontifex simul cum ipsis rem definit.

Nota. Quoniam in hac thesi agimus de Episcopis in Synodum oecumenicam convocatis, neque ad absolvendam quaestionem de infallibilitate potest haec thesis nunc praetermitti, ne materiam unam dividamus, et eadem repetere cogamur, omnia huc congesimus quae de auctoritati Romani Pontificis erga concilia oecumenica adhuc restant dicenda vel uberius demonstranda, de potestate scilicet convocandi et praesidendi, etc.

I. Cum Christus doctrinam divinitus revelatam voluerit certa serie testium et doctorum a se instituta perpetuo custodiri, praedicari et propagari; ille dicitur in Ecclesia magister seu doctor *authenticus*, qui ex officio divinitus instituto ius et obligationem pariter habet custodiendi, praedicandi ac propagandi doctrinam revelatam, atque ex eadem divina ordinatione ius habet exigendi fidem doctrinae a se traditae. Porro magister authenticus duplex distingui debet: *authenticus simul et infallibilis*, qui nempe absolute exigit fidem doctrinae a se traditae eo quod ipse est qui docet: atque *authenticus simpliciter, per se fallibilis*, qui exigit fidem doctrinae a se traditae quia ipse docet simul cum centro seu capite universi

magisterii authentici cuius ipse est membrum. Ἀθήνητις nempe seu auctoritas docendi amplius patet quam infallibilitas: potest scilicet competere alicui auctoritas docendi, quin tamen eidem competat infallibilitas. Ratio est quia ad ἀθήνητις magisterii generatim sufficit quod quis ius habeat docendi, et exigendi ut ipse audiatur, eaque doctrina quam proponit credatur, non autem requiritur ut normam magisterii sui ab alio superiore non recipiat. Id autem proprium est magisterii supremi et infallibilis, quod aliis est norma doctrinae. Postulatur quidem infallibilitas in magisterio authentico, secus enim non posset facere satis fini propter quem est institutum, sed non est opus ut eadem inhaereat singulis membris eiusdem magisterii authentici.

Iudex vero ille est qui ex publica auctoritate sententiam fert super aliqua particulari controversia, cui sententiae parendum sit. De essentia iudicis non est quod ipse ius dicat seu statuatur, h. e. ipse sibi constituat normam seu legem, secundum quam iudicandum sibi sit; constat id ex utroque iure canonico et civili: neque de essentia iudicis est ut eius sententia sit peremptoria, ita ut fieri non possit ut ei non pareatur, satisque est quod ei parendum sit, si a superiore vel supremo iudice ea confirmetur: qua confirmatione existente, ea sententia prioris iudicis vim suam totam exerit, eique, non soli sententiae superioris, parendum est: liquet id pariter ex utroque iure.

Iam vero manifestum est tum universos Episcopos simul cum Petro constituere magisterium illud authenticum, cui propter suum caput infallibilitas competit, tum singulos, qui partem tenent in solidum unius Episcopatus, esse in suis ecclesiis magistros fidei authenticos et iudices. Singuli enim suas cathedras habent, singulisque portio gregis est adscripta, quam regat unusquisque et gubernet auctoritate episcopali quae est auctoritas iurisdictionis, h. e. auctoritas a) leges ferendi pro suis ecclesiis, ideoque et docendi: b) iudicandi in omnibus iis in quibus oves suae regi debent, ideoque etiam in causis fidei pro quibus est institutum magisterium Ecclesiae: c) coercendi. Haec porro auctoritas docendi et potestas iudicialis propria est Episcoporum. Quamvis enim et alii fideles docere possint: hi tamen 1) non succedunt iis, quos Christus ad docendum misit, seu non spectant ad seriem eorum quos Christus testes et doctores instituit in Ecclesia sua: neque proinde 2) ex officio divinitus instituto ius habent praedicandi, custodiendi et propagandi fidem: neque 3) ius habent exigendi ut ipsi audiantur, et ea doctrina credatur quam ipsi proponunt. Deest quippe iis iurisdicatio, cuius pars est auctoritas docendi. A iudicio quidem Episcopi appellare licet: quia ta-

men sententia eius ex auctoritate prolata est, si agatur de re nondum definita, aut satis clara in Ecclesia, id saltem illa exigit ut fidelis subditus eam revereatur non impugnando eam publice, quia auctoritas iudicis contemnenda non est; et unitas servanda est in Ecclesia, cuius cura commissa est Episcopo, qui a suo superiore non ab inferiore iudicandus est. Cum dicimus *ceteros fideles*, intelligimus eos qui neque ex privilegio Romani Pontificis potestatem habent episcopalem ordinariam, vel eius quamdam participationem in aliquam partem gregis: hi enim, eo privilegio posito, comparandi sunt quoad hoc Episcopis.

II. Ex dictis consequitur quod secundo loco statuimus in thesi, cum nempe Episcopi in suis ecclesiis docent quae spectant ad fidem, assensumque requirunt, praesumendum esse iuridice quod eorum doctrina sit vera seu catholica, h. e. doctrina cathedrae Petri. Praesumptio est generatim anticipata rei, quae per se in dubitationem venire possit, opinio ex indiciis vel coniecturis desumpta. Praesumptio iuris, si de iure humano positivo sermo est, est ea quae in canone aut lege *invenitur expressa*: si vero de iure naturali et divino sermo sit, dici potest ea quae ex iure sive naturali sive divino necessario colligitur, sive ab eo exigitur. Ea admittit quidem probationem in contrarium, secus ac *praesumptio iuris et de iure*; sed donec probatio allata sit, ipsa favet illi pro quo stat. Unde rationabiliter (praesumptio enim probatio quaedam est) creditur id quod ius praesumit.

Porro in ipsa institutione divina doctorum divinaque promissione praesumptio ea, quam diximus, innititur. Voluit enim Christus esse Doctores, quos audire deberent fideles, promisitque quod nunquam eorum concors consensus a magisterio Petri discederet: singulosque iuvat auxilio suo ut, nisi sibi ipsi desint, velint in unitate manere, Petrique cathedrae semper consentire. Iam vero si haec est lex Christi ut doctores sint, et ab iis fideles doctrinam accipere debeant, 1) cum ipsa lex naturae doceat ut is qui auctoritate et officio agit, in iis, quae ad suam auctoritatem officiumve spectant, praesumatur iure agere; Christus auctoritatem docendi et officium Episcopis conferens, eo ipso dicendus est voluisse ut praesumeretur eos iure uti auctoritate sua, h. e. recte docere. 2) Cum constet concordem consensum doctorum non discessurum a doctrina cathedrae Petri, certum est quoque quod pluralitas horum in confuso accepta non discedit: ab hac vero pluralitate singuli quidem singillatim abesse possunt; sed quia nemo censendus est malus aut impar muneri suo nisi probetur, de nullo Episcopo speciatim arbitrari licet quod ab eo consensu deficiat nisi probetur, h. e. praesumendus est con-

cors esse cum consensu universali. Est igitur haec praesumptio iuridica, in ipso divino iure fundata.

Quare haec praesto sunt fideli inquirenti veritatem: 1) certum est Romanam Sedem praestare omnibus quaerentibus fidei veritatem: 2) certum est consensum Doctorum divinitus institutorum cohaerere semper cum cathedra Romana, et quidem *formaliter et materialiter* in iis omnibus, quae explicite ab illa iam sunt tradita et traduntur: formaliter saltem quoad debitam subiectionem voluntatis et intellectus in iis quae adhuc ab illius iudicio non sunt definita. 3) Iure praesumendum est singulos Episcopos communionem habentes cum cathedra Romana illud idem docere quod ipsa docet. Ergo si alterutrum ex prioribus consulere fidelis potest, notitiam veritatis assequetur; ex primo quidem quoad quodcumque doctrinae revelatae caput etiam nondum definitum, si Sedes Romana respondere velit: ex altero autem quoad omnes veritates quas explicite cum Romana Cathedra docente profitetur consensus Pastorum. Quod si neutro medio uti valet fidelis, ut rudibus usuvenire potest, tunc magisterio Episcopi sui contentus sit; ei enim fidem adhibens, credensque doctrinam esse revelatam eam quam Episcopus docet, rationabiliter agit; est enim voluntas Dei ut oves pastorem suum audiant, praesumantque eum bene docere, nisi contrarium probatum sit: quare etsi errorem doceatur fidelis, error eius erit materialis non formalis, veraque virtus fidei in eo semper vigeat. Liqueat autem huiusmodi consensum praestitum Episcopo, qui solus audiatur, multoque magis inferiori qui vices Episcopi expleat, esse vel formaliter vel certe virtualiter semper conditionatum, si nempe haec est doctrina Ecclesiae, haec est doctrina Romanae Sedis: volumus enim credere quod universa Ecclesia credit, sicut in symbolo fidei profiteamur dicentes: credo sanctam Ecclesiam catholicam.

Contingere quidem potest ut fidelis quis dubitet an Episcopus suus vera doceat: constat tamen historice, ipsa ratione suffragante, quod huiusmodi dubitationes in mentibus rudium rarissime excitari sponte solent; talis enim dubitatio opus est cuiusdam reflexionis, quam rudes adhibere non solent, qui potius intuitione directa licet confusa quam reflexa cognitione distincta generatim utuntur. Nec praetermitti debet auxilium gratiae divinae, quae singulos regit secundum eorum conditionem et necessitatem. Quare assensus huiusmodi hominum in doctrinas traditas ab uno doctore et est *assensus fidei*, credunt enim Deo revelanti propter Ecclesiae auctoritatem; licet identidem error materialis esse possit, et est *assensus firmus*, nulla enim dubitatione pulsantur. Si tamen vera dubitatio oriatur; vel agitur de veritate iam definita, vel secus: si nondum est veritas

definita, cum credere fidelis non teneatur, nullum detrimentum eius fides patietur eo quod ipse doceri a suo Episcopo non possit. Si autem agatur de re iam definita, et dubitetur an Episcopus oppositum doceat illi, quod explicite universa Ecclesia profitetur, et quidem dubium sit positivum, utique iam praesumptio ex parte deficit, cum aliqua probatio in contrarium exstet, fideique assensus suspendendus erit: sed huiusmodi dubitanti facile erit veritatem invenire, cum iam supponatur in eo quaedam cognitio consensus universalis oppositi, quocum sententiam sui Episcopi comparavit; secus enim dubium non fuisset positivum.

III. Nunc consideremus Episcopos in Synodum oecumenicam collectos; de quibus oecumenicis synodis ut omnia haec complectamur, quemadmodum monuimus, docemus primo quis eas possit convocare.

Romanus scilicet Pontifex unus ius habet convocandi ex potestate Concilium oecumenicum. Concilium Episcoporum differt ab Episcopis in suis sedibus manentibus ratione specialis potestatis et actionis; quoad esse enim, sive in suis sedibus maneant sive colligantur in unam Synodum, sunt semper Episcopi unum corpus suo capiti cohaerens, unus Episcopatus cuius singuli in solidum partem tenent. At in suis sedibus manentes simplices Episcopi singuli in suas Ecclesias potestatem solum habent easque regunt, ideoque singuli ab aliis seorsim et independenter operantur. At in Synodum collecti 1° conferunt simul operationes, consilia et suffragia, ut ex omnium actibus unus fiat actus; 2° non solum in suam Ecclesiam potestatem exercent, sed in unam provinciam, si Synodus sit provincialis, vel in universam Ecclesiam, si Synodus sit oecumenica: patet autem quod haec collatio omnium actionum in unam, collatio consiliorum et suffragiorum per se obtineri etiam potest ab Episcopis manentibus in suis sedibus, quo posito haberetur certe aequivalenter Synodus quoad eius partem formalem; nihilominus plenius et efficacius talis collatio haberi potest ordinarie cum simul coeuntes Episcopi sua consilia invicem sibi communicant, suffragiumque ferunt. Discrimen est ergo quoad Episcopos collectos in Synodum et eosdem in suis sedibus manentes tum ratione actionis, quatenus una est actio ex pluribus, eaque una actione regitur vel aliqua portio Ecclesiae vel universa Ecclesia, tum ratione potestatis quae huius actionis regentis principium est. Nunc de Synodis oecumenicis loquimur. Quod autem de eorum convocatione dicimus intelligendum est quoque de ea actione qua omnium Episcoporum in suis sedibus manentium suffragia de aliqua re exquirerentur ut decretum communi nomine ederetur. Ratio enim formalis Synodi et in hoc reperitur.

Distinguendus est duplex actus convocationis. Alter qui est actus

iurisdictionis in eos qui convocantur, qui actus proinde cogit eos ut veniant; unde dici potest convocatio coactiva, vel simpliciter convocatio ex potestate. Alter actus convocationis est actus ministerii exhibitus in obsequium potestatis iurisdictionis, aut est actus consilii vel exhortationis ut Episcopi conveniant in Synodum. Actus consilii aut exhortationis ab Episcopis quoque poni potest rogantibus et exhortantibus ut Synodus fiat. Actus convocationis praestitus in obsequium potestatis iurisdictionis dici potest convocatio ministerialis, quatenus subordinatur et servit legitimae potestati.

Iam vero quamvis ad Imperatores convocatio ministerialis competat, quae est potius officium, quam ius: convocatio coactiva et ex potestate ad solum Romanum Pontificem spectat, nec id negari potest nisi ab iis qui oeconomiam Ecclesiae prorsus pervertunt, inducentes regimen aristocraticum aut popolare, vel Ecclesiam mancipantes auctoritati civili; quos satis in superioribus confutavimus. Sane 1^o illius est iubere omnes Episcopos convenire qui in eos omnes iurisdictionem habet, atqui hic nec ullus alius Episcopus, nec fidelium coetus, nec ipse coetus Episcoporum seorsim a Pontifice, nec ullus Imperator est, sed solus Romanus Pontifex, in quo est plenitudo potestatis, quippe est pastor omnium ovium: ergo ipse solus obligare potest Episcopos omnes ad Synodum. 2) Episcopi in Synodum oecumenicam adunantur ut leges ferant pro universa Ecclesia. Nam, ut iam monuimus, non singuli ferunt legem aut decreta condunt pro suis ecclesiis, sed omnes simul ad unum actum concurrentes legem aut decretum sanciant pro universa Ecclesia; unus est enim actus conciliaris qui immediate refertur ad universam Ecclesiam. Atqui licet Episcopi sint iure divino subiectum idoneum huius potestatis exercendae una cum aliis et sub Romano Pontifice, quia iure divino sunt Principes, sive habentes iurisdictionem ordinariam in Ecclesia; tamen hanc potestatem ferendi leges pro universa Ecclesia Episcopi nec singuli seorsim, nec simul collecti habent a se vel a Deo immediate, sed solum habere possunt immediate a Romano Pontifice eos ex potestate sua convocante; ergo convocatio Romani Pontificis requiritur, quae conferat hanc potestatem Episcopis. Consequentia patet, quia deficiente potestate nulla est realiter Synodus. Probatur minor et quidem quoad secundam partem, in qua potest esse difficultas. Sane si regimen Ecclesiae esset aristocraticum, pronum esset inferre quod ex ipsa Christi institutione, posito facto adunationis legitimae, Episcopis adunatis immediate iurdictio competit quae per se in universitate reperitur. At alia prorsus est Christi institutio. Scilicet ex Christi institutione non duplex est suprema potestas

in Ecclesia, seu non est duplex subiectum praeditum suprema potestate, sed unum est Ecclesiae caput, sicut ipsa Ecclesia est una; porro suprema potestas ipsa est potestas Primatus, atque unicum est eius subiectum, nempe Romanus Pontifex: potestas autem ferendi leges pro universa Ecclesia est actus proprius supremae potestatis; ergo ex se Episcopis ceteris sive singillatim sive collective sumptis illa competere nequit. Neque ipsis prout sunt unum corpus sive dispersi sive uniti in Synodum confertur immediate a Deo talis potestas: nam eatenus verum est supremam potestatem esse in coetu Pastorum quatenus ea propria est capitis huius coetus, cuius auctoritate fieri potest ut ceteri pastores simul cum ipso et per ipsum concurrant ad exercitium supremae potestatis. Institutio enim Primatus excludit supremam potestatem ab universitate Pastorum, omnesque ceteros Pastores simul quoque sumptos subordinat iurisdictioni Romani Pontificis; idcirco Deus potestatem ferendi leges pro universa Ecclesia immediate non communicat nisi uni, vult imo ceteros alios per se non habere: neque enim habere eam possunt qui sunt supremae potestati subordinati. Sunt ergo iure divino Episcopi adunati in Concilium capaces huius potestatis, sed ita ut eam ex capite suo Romano Pontifice accipere debeant. Et sane cum Romanus Pontifex sit Pastor supremus et immediatus cui universa Ecclesia est commissa, habeatque plenitudinem potestatis, ipse ius habet ut nemo citra suum consensum ferat leges qua sui subditi obligentur; ergo ut Episcopi in Synodo valeant decreta fidei vel morum aut disciplinae condere, oportet ut ad id fiat ipsis facultas a Romano Pontifice.

Quare reiicienda est sententia Bolgeni aucupatoris novarum opinionum, statuentis collatam esse immediate a Christo universalem iurisdictionem Episcopis non prout singuli sunt, sed prout corpus episcopale cum suo capite Romano Pontifice constituunt (Episcopato p. 1. c. 7). Nam immediate Christus universalem iurisdictionem soli capiti concessit, ac per caput communicat corpori agenti simul cum capite potestatem concurrenti ad exercitium universalis iurisdictionis.

Quod si Romanus Pontifex in Ecclesia non sit, nulla est possibilis vera Synodus oecumenica, quia deest caput et subiectum potestatis universalis; sed eligendus est Pontifex: si autem impedimenta existant pro Pontificis certi electione, vel quae electum aut electos dubios reddant et huic malo occurrere non liceat nisi per Synodum omnium Episcoporum; hi quidem ius habent in Synodum conveniendi, ne christiana respublica detrimentum capiat, sed eorum potestas eo tantum spectat ut consulatur electioni legitimi Pontificis

non ut leges condant pro universa Ecclesia; quia carent hi auctoritate, quam a solo Pontifice habere possunt; quamvis per modum praeparationis et inchoationis leges ferri ab iis quoque possint, vim obligandi habiturae, cum Pontifex existens eas confirmaverit.

Dices iure divino esse seu celebrari in Ecclesia concilia oecumenica: quod quidem modernus Scriptor sane doctus et romanus probare ex eo voluit quod divina assistentia iis sit promissa: ergo ab ipso Deo potestas conciliaris Episcopis confertur.

Respondeo 1^o dato antecedente, nego consequentiam: nam etiam Episcopi in singulis ecclesiis sunt iure divino; nec tamen consequens est eos habere a Deo immediate iurisdictionem.

Respondeo 2^o *Distinguo* antecedens: sunt Concilia in Ecclesia iure divino praecipiente rem necessariam necessitate orta ex ipsa constitutione Ecclesiae, *nego*: iure divino suadente et consulente rem utilem et in quibusdam adiunctis etiam praecipiente rem necessariam sed necessitate orta ex ipsis adiunctis ut fini prudenter provideatur, *concedo*. Ratio est quia ex ipsa Christi institutione Primatus Petri sufficit, isque semper in Ecclesia esse debet. Cf. Th. seq.

Ad rationem vero antecedenti adnexam negamus consequentiam: promissa est scilicet assistentia conciliis si rite convocentur, sed non eo ipso praeceptum est ea convocari.

Ius Romani Pontificis asseritur pariter historia veterum Conciliorum. Qua in re advertendum est ut distinguatur substantia rei a forma accidentali vel modo eiusdem. Substantia in eo est quod ex voluntate Romani Pontificis convocentur Episcopi, eiusque auctoritate Synodum constituent, ita ut ab eo fiat Episcopis potestas decernendi de rebus communibus Ecclesiae, et sine eius auctoritate Synodus nulla sit. Forma accidentalis est quod certo signo, puta literis Apostolicis, Bulla, aut alia ratione voluntas Romani Pontificis significetur, eademque praevertat vel sequatur alterius voluntatem, vel ipse prior indicat convocationem, vel eam ab alio factam ipse probet et consentiat. Praeterea advertendum est munus esse Imperatorum Christianorum sua potestate uti in defensionem Ecclesiae; magnumque emolumentum accedere auctoritati Ecclesiasticae, cum Principes curas suas sponte conferunt, quod quidem debent, in auxilium Ecclesiae: unde pro sua modestia Ecclesiastica auctoritas, cum eos cernit recte agere, permittit identidem ut sine praevertente sua admonitione illud exsequantur quod ad bonum Ecclesiae conducit; huiusmodi enim executio tum ex sui natura tum voluntate agentium intelligitur subordinata potestati Ecclesiasticae, eaque permissio signum est consensus auctoritatis, vi cuius omnia fiunt. Rursus advertendum est quod cum res pacifice agi potest cum potestate civili, ratio omnis suadet

ut id fiat: porro ea aetate lex Imperii erat vetans hominum publicos conventus sine consensu Imperatoris; ne ergo aegre ferrent Imperatores legem suam contemni, consensus eorum requirendus erat. Tandem ea aetate vehicula publici itineris per regiones imperii non erant communia omnibus, sed in Imperatoris erant potestate, eiusque facultas requirebatur pro eorum usu, atque non leves expensae pro itinere tot Episcoporum a locis dissitissimis venientium, et sumptus necessarii pro iisdem alendis dum Synodus ageretur, non nisi ab aerario Imperii suppleri poterant: physice ergo impossibile erat Episcopis sine consensu Imperatoris Synodum oecumenicam celebrare, licet iuridice id ex se possent.

His positis affirmamus 1) factum, h. e. Romanos Pontifices priora concilia oecumenica convocasse; affirmamus 2) ius, h. e. illos ea convocasse ex potestate convocatione coactiva, illosque solos: Imperatores vero convocasse tantum convocatione ministeriali. Sane quod 1^o Concilium primum Nicaenum convocatum esse a Silvestro testantur Patres Concilii VI in sermone prosphnetico ad Imperatorem, innuiturque a Damaso epist. 17^o (penes Galandi Tom. VI, pag. 321). Synodum Ephesinam convocatum esse auctoritate Caelestini Pontificis docet tum idem sermo prosphneticus, tum professio secunda fidei quae in libro Diurno Romanorum Pontificum legitur. Illa quoque Ephesina Synodus, quae postea in latrocinium evasit, auctoritate Apostolicae Sedis h. e. Leonis convocata est, ut ipse testatur epist. XXXIII. ad Ephesinam Synodum. Auctoritatem eiusdem Leonis exoraverunt Valentinianus et Marcianus (ibid. ep. XXXIII) ut Synodus Chalcedonensis haberetur. Concilium VI Agathonis consensu coactum esse colligere ex eo licet quod Imperator Constantinus hortatus sit ipsum legatos mittere (epist. Imper. ad Leonem II), Patres vero testentur se Agathonem ut Episcopo universalis Ecclesiae relinquere quid sit gerendum, et haereticos se damnare secundum sententiam ab eodem prius latam (in litteris missis a Synodo ad Agathonem), licet forte modum hac in re excesserint. Concilium VII Adrianus I consensit ut fieret, quemadmodum liquet ex eius epistola ad Tarasium quae lecta est in Act. 2^o. Concilium VIII voluit Adrianus II celebrari, sicut inquit idem in litteris ad Imperatorem Basilium lectis in Act. 1^o. Concilium vero II. non fuit celebratione et convocatione oecumenicum, nec tale dissentiente Vigilio fuit Concilium V.

Quoad 2^o convocatio Romanorum Pontificum erat ex potestate convocatione coactiva, et ad ipsos solos ea spectare credebatur. Sane a) tenendum est omnium oecumenicorum Conciliorum eandem esse rationem idque antiquitus quoque creditum fuisse: si ergo disertam testificationem historica constat quoddam Concilium convocatum esse auctoritate